

Johann Nicolaus Quistorp    Johann Joachim Polz

## **Adelphai. Agaptai. & Syneisaktai. Exercitatione Historico-Theologica**

Rostochii: Richelii, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733810756>

Druck    Freier  Zugang



RU theol. 7.Sept. 1692

Quistorp, Joh. Nic.







DEO OPT. MAX. FORTUNANTE.

G.  
110.

Α Δ Ε Λ Φ Α Ι.  
Α Γ Α Π Η Τ Α Ι. 239

&  
Σ Υ Ν Ε Ι Σ Α Κ Τ Α Ι.  
EXERCITATIONE HISTORICO-  
THEOLOGICA,

*Benevolo SUMME VENERANDÆ FACULT. THEOLOGICÆ CONSENSU,*  
In inclytâ Patr. Academiâ  
confideratæ, publicæqve συζήσεσι submissæ  
*Sub PRÆSIDIO*

JOHANNIS NICOLAI  
QVISTORPII,

S. S. Theol. Doct. & Pastor. Nicolait.  
Domini Avunculi sui colendi,

A  
RESPONDENTE

JOHANNES JOACHIMO  
POLTZIO, Rostoch.

Horis antemeridianis

in Auditorio Majori,

*ad diem VII. Septembr. Anno Christi M DC XCII.*

ROSTOCHII,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.

1692

Patribus Patriæ meritissimis,  
**VIRIS**  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CON-  
SULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDEN-  
TISSIMIS,  
DOMINIS  
**CONSULIBUS.**  
**SYNDICO.**  
**SENATORIBUS.**  
ut &  
**PROTONOTARIO**

*Inclytæ Reip.*

**ROSTOCHIENSIS,**  
Dominis Patronis, Promotoribus, & Fautori-  
bus suis Optimis Maximis, perpetuâ animi devotione, ac  
observantiâ colendis,

*Dissertationem hanc Historico-Theologicam cum humillimo voto  
omnia in Domino ευπραξίας, ευτυχίας, & ευδαιμονίας  
ad feliciter Remp. regendum, fortiter defendendum, salu-  
briter ampliandum, & ad firmiter diu, vivendum*

omnimodâ submissione inscribit, ac offert  
Respondens

Jo. Joach. Poltzius,

§. 1.



*Sunt Clerici omnibus tale Castitatis exemplum, ut & ipsi, & familia eorum, ab omni sit vel suspitione libera. Regula optima est Jacobi Marchantii Decani Couviniensis, quam suppeditat in Horto Pastorum Tract. IV. Virge Aaronis Lect. VIII. pag. 1098. Diabolus certe omni hominum conditioni insidias parat; attamen majori sibi ducit victoriae, & honori, dum personas speciatim DEO sacratas in peccata, praecipitare valet. Ἰδὲ ὁ Σατανᾶς ἐξηρῆσαν τὴν σὶμῶν, ὡς τὸν σῖτον. Ecce Satanas experivit vos, ut cribraret sicut triticum. Inquit Dominus ad Simonem Luc. XXII. 31. B. Avus noster notat ad verbum Cribraret: id est, ut tentaret, an vestrum quosdam est consortio regni caelestis, hoc est Ecclesiae, itidem ut grana leviora est cribro excuteret, & in terram projicere posset.*

§. 2. Non autem potuit Satanas expeditiorem ad quavis scelera, & flagitia invenire viam, quam si conjugio arceret eos, à quibus mobile vulgus non modò doctrinam, sed & pietatis, & modestiae, & continentiae exempla petere debeat. *Hi si postposito honesto Conjugio vagis libidinibus indulgent, & stupris se oblectent, quid aliud agunt? quam ut Auditoribus suis ad omnem nequitiam, & turpitudinem fores patefaciant. Sunt verba Weinrichii Theol. Lips. Comment. in Epist. I. ad Cor. Cap. IX. 5. Part. II. p. m. 24. Et Bernhardus Abbas ille Claravallensis Sermon. LXVI. in Cantic. exclamatur: Tolle de Ecclesiâ honorabile connubium, & thorum immaculatum, nonne repleas eam Concubinariis, Incestuosis, Seministis, Mollibus, Masculorum concubitoribus, & omni genere immundorum. Vid. plura apud Chemnicium in Exam. Concil. Trident. Part. III. fol. m. 68. Gerhard. LL. C. T. VI. Loc. de Ministr. Eccles. §. 338. &c.*

§. 3. Sub Papatu verè à multis retrò seculis coactus coelibatus adeo fuit prolificus, ut Clericis & Monachis

A

rectè



rectè sint indita nomina Patrum,  
Cum numerent spurios hic & ubique suos.

Ut eleganter loquitur D. Joachimus Hildebrandus in Tractat. de Nuptiis veterum Christianorum. Andreas Dudithius Quinq; Ecclesiensis Episcopus in Excusat: ad Maximilianum II. Imperat. in quâ rationes affert, cur Episcopatu, & aliis honoribus abdicatis, uxorem duxerit, citra finem sequentia refert: Nullo unquam tempore in vitâ tranquilliore, & pacatiorem animum habui, postquam ex illo impuri cœlibatus cœno, DEI beneficio emergere me sensi, abjectis impiis illis cogitationibus, purgatâ jam conscientia meâ, magnâ latitiâ efferor, quod translatum me video in sanctorum hominum numerum ex infelicitium cœtu, qui libidinibus & vitæ sordibus contaminati, in summâ impietate consenscunt, quorum animos cum perpetuâ voluptates, & impuræ cogitationes, nunc in hanc, nunc in illam partem quasi fluctus quidam impellunt, eò tandem deferuntur, ut malint aliorum uxoribus insidiari, virgines, viduas, omnis generis mulieres, nequid deterius dicam, ad stuprum sollicitare, scortâ alere, eaque frequenter novis succedentibus permutare, quam suam uxorem ut Paulus precipit ad vitandam fornicationem habere. Barlette olim in Galliis Concionator in sermon. f. fol. 262. col. 2. differens de hâc materia, exclamat. O quot luxuriæ! O quot Sodomix, O quot fornicationes, clamant latrinæ, latibula, ubi sunt pueri suffocati. Utinam haberemus aures apertas, & audiremus voces in latrinis suffocatorum, & in fluminibus, ad omnes diabolos talis modus faciendi. Taceo de adulteriis, stupris & incestibus, peccatis etiam contra naturam. O Naturæ destructores, O bestiis deteriores!

S. 4. Integri libri eheu! de impuritate Clericorum papalium extant, quos inter eminet *Gomorrhæus Petri & Damiani* apud Baron. Anno 1049. vid. *Danhaveri Evangel. Dence. Mahl* p. m. 103. Hinc lupanaria, & promiscuos concubitus in magnis civitatibus, adeoque in ipsâ Româ primariâ illâ impuri cœlibatus officinâ, ad evitanda multa præsertim Sodomitica peccata concedi adhuc oportet. *In meretrices* ait Thuanus Historiarum f. temp. Lib. XXXIX. p. m. 812. *quarum Romæ à multo tempore frequens ac publicum mercimonium erat, multa severè decrevit Pius V. P. R., quas ex urbe quamprimum excedere, aut nubere, & si non obtemperarent, publicè flagellis cedi jussit. Cum vero moneretur inter tot cœlibes, sublatis feminis, majoris vitii, quod Romanis jam olim B. Paulus exprobravit, periculum subesse; ita eas tulit, ut lupanari includerentur, nec, ut prius liberè per totam urbem interdii, nocturne vagarentur, ratus, pudore utrinque incusso, & illas priori vitæ remun-*  
ciatu.

ciaturas, & viros infamiam veritos ad ea loca non ituros: quæ vero in meretriciâ professione morentur, in sterquilinio defodi mandavit. Intercessit initio urbis Senatus, à S. ordine qui palam non audebat, clam instigatus; hoc decreto hospitiorum presia vilescere, & ad nihilum redigere, & libertatem antiquam tolli, idemque quod dixi, periculum imminere, dictitans: nec Matronarum pudicitiam inter tot cælibes integram, & inconcussam aliter servari posse, nisi pristina libertas restituatur. h. u. c. Sed non placet hoc Augiæ stabulum ingredi, nec hanc adeo foetidam Camarinam movere.

§. 5. Ad ipsa connubiorum sacra progredi malo. *Apostolus I. Cor.*

*IX. 5. ἐξουσίαν ἀδελφῆν γυναῖκα παροΐγεν.* Potestatem sororem mulierem circumducendi, sine rubore defendit, atque alteram partem sui juris hanc docet esse, quod Ecclesiæ sumptu, non sibi soli vivere, sed & sororem circumducere, hoc est uxorem, & familiam inde alere liceat. Hic locus quidem diversimodè accipitur, & imprimis quæritur, quid Paulus velit per τὴν ἀδελφῆν γυναῖκα! *Vetus reddit (teste Pareo Commentario in I. Ep. ad Cor. ad L. c.) sororem mulierculam. Hieronymus Lib. I. contra Jovinian. quem sequuti plerique posteriores conjugio Ministrorum Ecclesiæ infelti; ut & Scholia Græca pro singulari ἀδελφῆν γυναῖκα mulierem sororem, pluraliter legunt: sorores mulieres; intelligentes de sanctis quibusdam mulieribus opulentis, quæ Apostolos infecutæ, de facultatibus suis victum eis suppeditabant, ne Ecclesiis graves esse cogerentur, sicut ipsi Domino legitur factum Luc. II. 3. Ait & Hieron. in Annotat. ad Cap. XXVII. 55. Matth. Moris fuisse Judaicæ, nec ductum in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantiâ suâ victum, atque vestitum Præceptoribus ministrarent. Quæ sensus videtur probari eò, quod mulieres hæ vocentur sorores, sorores vero non possunt esse uxores. Idem inculcat Ambrosius, qui dicit: Mulieres desiderio Doctrinæ Dominicæ, & cupidas virtutum, secutas esse Apostolos, ministrantes eis & sumtus, & servitia. Hoc & vult Augustinus de Oper. Monach. C. IV. & ante hos Tertullianus Nuptiarum adversarius.*

§. 6. Ast observat B. n. Avus in Not. ad C. L. γυναῖκα, quemadmodum apud Hebræos נִשְׁוּת indifferentem & foeminam, & uxorem significat, sic quoque γυναῖκα apud Græcos; nec unquam in N. T. uxor alio, quam hoc vocabulo notatur. γαμετή enim nec in N. T. nec in versione Græca V. T. nec in Apocryphis invenitur; multo minus ἀκοίτη, παρὰκοίτη, quæ Poëtarum sunt. Et si discipulas circumduxerunt, quærit Calixtus Tract. de Conjugio

A 2 Cleri.

*Clericorum*: cur singulari numero utitur Paulus? indicium enim facit singulas à singulis circumductas esse, quod ipsum uxores arguit, & non discipulas. Et si sororem saltim foeminam, non uxorem intelligi cupit, cur addit! quod bene observat *Petrus Martyr ad b. l. γυναῖκα*: sororem enim foeminam esse, nemo ignorat. Omnis quidem soror foemina, sed non omnis soror uxor est. Sic etiam omnis frater vir est (*nisi forte in conventibus, ubi audio interdum mentitis vestibus fratres dici, quos aliter oportuit: quae monstranda nondum praeviderat Paulus.* Vid. *Giamieri Panstrat. Cathol. Tom. III. Lib. XVI. Cap. XII. no. 42.*) sed non omnis vir frater. Solebant autem Judaei (ut bene notat *Polus in Synops. Critic. ad Cap. IX. I. Cor.*) uxores suas appellare sorores ob communem originem. Christiani autem ob communem fidem. Et non sine acumine commentatur Augustinus Marloratus in *Cathol. Expos. N. T. fol. 700. col. 2.* dicens: *Quod Paulus Christianam uxorem sororis nomine insignit; primum eò declarat, quàm firma inter pios conjuges, & amabilis esse debeat conjunctio, quae duplici vinculo continetur. Non enim solum jure Matrimonii communicata corpora habent, sed ut fratres, & sorores Religione sunt inter sese, quâ per Christum renati sunt in fide: & deinde innuit etiam, quanta inter eos modestia, & honestas esse debeat. Ut enim frater & soror graviter, & pudibundè inter se conversantur, ita maritus Christianus uxorem habere debet non ad voluptates, & delicias, sed ut sororem in Christo, quae se ad honesta, & utilia juvet.*

S. 7. Frustra Ergo huc à *Bellarmino Lib. I. de Clericis C. XX.* trahitur illud ἀνδρες ἀδελφοὶ: Viri fratres, quod in Actis plusquam decies occurrit. Ἄνδρες in alloquio appellare honorificum est, & aliquid generale, cui sive declarationis ergo, sive captandae benevolentiae subicitur ἀδελφοὶ. Sic Ἄνδρες ἀδελφοὶ, & πατέρες Act. VII. 2. Cap. XVII. 22. Ἄνδρες Ἀθηναῖοι quomodo etiam illos compellere solitus *Demosthenes* &c. Quippe sunt istae formulae compellendi, quarum nulla ad id, quod hic est, extra alloquium, & inverso ordine ἀδελφὴν γυναῖκα accommodari potest. Vid. quae *Avus N. habet in Annotat. ad N. T. p. 288.* & *Erasmus Smidius in Not. & Animadvers. in N. T. fol. 110.* Et si phrasis hæc ἀδελφὴν γυναῖκα non aliud significat, quàm Christianam mulierem ex hypothese Pontificiorum; sicut Ἄνδρες ἀδελφοὶ significat: Viri Christiani; quomodo explicabunt locum Act. XXIII. 1. ubi *Paulus* non Christianos, sed Judæos & infideles alloquitur, quos viros à sexu, fratres à gente, vel naturâ appellat, & neutra vox otium agit. Concludi-

cludimus ergo hic, & plus quàm centum N. T. locis per *ἡλικία* uxorem significari. Ipse & *Gratianus* Distinct. XXXI. Can. IX. *omnino*, per sororem uxorem intelligit.

§. 8. Ac verbum *ἡλικία* intuit quodammodo jus mariti in uxorem; significat enim circumducere, ut suam, non ut alienam. De *Salvatore* nostro non legitur, quod circumduxerit, sed quod secuta eum fuerint mulieres; quod facile eis fuit, quia Dominus non procul, nec extra Judæam migrabat. Ast Apostoli totam orbem peragrabant. Non igitur probabile est, mulierum catervam eos secum traxisse impedimentum magis prædicationis, quàm adjumentum. Imo non ridiculum modò, sed scandalosum admodum fuisset, & probrosum Evangelio, Apostolos lenonum instar mulieres alienas circumducere. Qui enim potuissent vitare fœdas suspiciones? maxime in tantò tum Judæorum, tum Ethnicorum odio: tum etiam invidiorum perversitate? Quo argumento & effectum, ut toties postea constitutum sit, arcendas mulieres non conjuges à commercio Presbyterorum. Repugnat etiam scopo Apostoli, ut observat *Pareus* C.L. contendit enim se labore victum parasse, ut Corinthiis parceret. An vero melius mulierculas, quàm Corinthios gravasset? Et ubi tunc gloriatio gratuita prædicationis, quàm morte redimere se dicit paratum. Potius igitur sequamur *Clementis* Lib. III. *ἐπιμαίων* interpretationem; quod Apostoli circumduxerint uxores sorores, quæ unà ministrarent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in Gynæceum absque ulla reprehensione, malève suspicione ingredi posset doctrina Domini. Et inquit *Baronius* in Annal. Tom. 1. ad Ann. 69. Num. 30. *Sicut pie Matriarchæ Dominos suos in Exilium sunt secute* Genes. XI. v. 31. Cap. XII. v. 5. C. XX. v. 2. Cap. XXVI. v. 7. C. XXXI. v. 17. *ita idem ab Apostolorum uxoribus factum fuisse verisimile est.*

§. 9. Utrum autem *Paulus* habuerit uxorem, non conficitur ex supradictis necessariò. Veteres tamen nonnulli ex C. L. colligunt, quod habuerit, non vero secum duxerit, sed certo locò reliquerit, ne oneri Ecclesiis esset. Et de Pauli uxore interpretantur locum *Philipp.* Cap. IV. 3. *καὶ ἑγενήθη, καὶ σε οὕτως γνήσιε, sane rogo & te compar germana, conjux ingenua, sive sincera, sive vera.* Nec obstat, quod tunc dixisset *γνήσια*, non *γνήσιε*. Attica enim est hæc generis permutatio ut Tit. II. n. *χάρει σωτηρίας* salutifera. *Vid.* Polus *Oper. Critic. Volum. V. col. 835.* *Erasmus* Roterodamus in Annotat. in N. T. fol. m. 631. edit. Frobenianæ. Anno 1535. Videtur in ea sententia fuisse; quod *Paulus* fuerit uxoratus. *Sunt* (inquit) *magni Antores*



*apud Græcos qui putant, Paulum habuisse uxorem. Et consentaneum est hic mulieres commendari mulieribus. Porro quod addit  $\gamma\eta\tau\iota\varsigma$  hoc est germana, sive vera, pulchrè quadrat in eam, quæ & ipsa Christum unâ cum marito amplecteretur. Cum enim consensus est non solum in convictu, verum etiam in professione fidei, in studio pietatis, in vitæ similitudine, tum denique verum est conjugium. Alioqui impar conjugium vocatur, quoties diversi religionis, jugo matrimonii continentur. S. Clemens (intelligit Clementem Romanum ac extant verba citata apud Eusebium L. III. C. 27.) *Histor. Eccles. Lib. III. referente Eusebio, locum hunc citat, quò doceat Paulo fuisse uxorem, cum tamen eam exemplo Petri non circumduxerit, quò videlicet expeditior esset ad negocium Evangelicum. S. Martyr. Ignatius in Epist. ad Philadelphenses fatetur ingenuè; non solum Petro & Paulo, verum etiam cæteris Apostolis fuisse uxores, nec ob id minores ab ipso fieri, cum Patriarchæ, & Prophætæ fuerint in Conjugio, non libidinis sed prolis gratia* (verba Ignatii C. Ep. hæc sunt: *Non vitupero reliquos beatos, quod nuptiis operam dederint, quarum jam memini: Opto enim, ut dignus inventus DEO, ad eorum pedes inveniar in regno, pura Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Eisaïæ. Item Petri Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam dederunt.*) Chrysostronus fatetur, fuisse qui putarent, hic Paulum appellare suam uxorem, sed dissentit, nec causam reddit cur dissentiat. Sed utris potius æquum est accedere, Clementi & Ignatio, quorum ille Petri comes fuit, hic Marci Evangelistæ discipulus, an Chrysostrono, qui tanto intervallo semotus fuit à temporibus Apostolorum! Theophylactus tamen acriter repugnat, ne Paulo tribuamus uxorem: quasi vero in hoc sit aliquid periculi. h. u. c. B. Strauchius in *Colleg. MSS. H. E. membr. de Staturâ & Matrimon. Pauli* inquit: Quod de Matrimonio ejus afferri solet, incertum est. Inclinare in hanc sententiam, eum in Conjugio ab initio vixisse, non quod deinde dimiserit uxorem propter officium, sed quod vel morte, vel casu alio eam amiserit. Nam Pontifici non concederem (licet id exciderit nonnullis ex Nostratibus) Paulum conjugem dimisisse, cum vocatus sit ad Apostolatam. Incerta plane tota res est, cum nec à Lucâ, nec ullo Patrum sit decisa. Plures tamen sunt, qui pro Matrimonio Pauli pugnant, h. u. & c. Ut sit, veteres non concordant, satis nobis est, firmiter ex supra notatis confici, Paulum salutare uxorem legitimam, sororem; ac sibi uxorem habere, & sumtu Ecclesiæ alere licuisse, quamvis jure suo abstinerit. Unde & sequitur leges de Coelibatu Sacerdotum & Juri, & Consuetudini Ecclesiæ repugnare. Ut multis evincit B. D. H. Muller*

*rus*

rus Conjug. Cleric. Patrocin. ex Oriente & Occidente, ad quem B. L. remitto. Vid. & *Molinae* Novitas Papismi puncti. IV. Controv. de Cœlibatu Cleric. Pontif. p. m. 633. &c.

§. 10. Miror autem, quod Pontificii, qui licet Matrimonium inter Sacramenta Ecclesiæ Divinitus instituta connumerent, universum tamen Clerum lege à *Siricio* Papa sub finem *Seculi IV.* latâ. Vid. *Centuriat. Magdeb. Cent. IV. Cap. VII. Col. m. 381. no. 50. Polydor. Vergelium* de Inventor. rerum Lib. 5. c. 4. p. m. 344. Et serò à *Gregorio VII.* (qui ante Papatum *Hildebrandus* sive *Hellebrandus*, ut ait *Georgius Dounamus* Episcopus *Derenfis* in *Anglia Lib. III. de Antichristo Cap. II. §. 4. i. e. inferni Titio* dictus. Artium Dæmoniatarum studiis imbutum eum fuisse ab Antecessoribus suis *Benedito IX. & Gregorio VI.* tradit *Benno* in vita *Hildebrandi*) Clericis Germaniæ obrusâ circa A. D. 1073. quæ res per A. 400. maximas turbas excitavit: plurimi enim Episcopi per Germaniam ei se opposuerunt, & pro Matrimonio Clericorum pugnarunt, ideoque publicè *Gregorium VII.* Anti-Christum esse proclamaverunt, teste *Nauclero & Aventino* historicis. Et quantum scandalum dederit Ecclesiæ hæc constitutio *Gregoriana*, exponit multis *Sigebertus Monachus Gemblacensis* in *Histor. Anni 1074.* In *Polonia* Regno sacerdotes usque ad A. C. 1219. uxores habuisse, ex *Annalibus*, in quibus *Archiepiscoporum Polonorum* vitæ descriptæ sunt demonstrari posse, asserit *Dudithius Imp. Maximil. in Poloniam Legatus* in *Demonstrat. pro Cœlibat. Cleric. p. 60. Polydor. Vergilius* de inventoribus rerum L. V. c. 4. p. 345. ita loquitur: *illud dixerim, tantum absuisse* ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali Religioni, plus doloris omnibus bonis inpresserit, inusserit, attulerit, quam sacerdotum libidinis labeles. Vid. *Gerhard. L. C. T. VI. Loc. de Ministerio Eccles. §. 345. Mulleri Patrocin. Conjug. Cler. §. 53. p. 47. Cunrad. Rietershus. Lib. II. Cap. XXI. de Differentia Juris Civil. & Canonic.*

§. 11. Sed redeo ad ἀδέλφην, quo nomine ut supra notavimus notata fuit quondam uxor legitima. Teste & *Polydoro Vergelio* de *Rer. invent. Lib. V. Cap. IV. p. m. 342.* Insuper autem observamus, Clericos quosdam solitos fuisse, *propudia sua ἀδέλφαις* sorores appellare; & sub hoc pietatis nomine vitia sua obtegere, sunt verba *Cujacii* *Observat. Lib. II. Cap. XXIX.* De his *Johannes Antiochenus* in *Nomocan. Tit. XXVIII. ex XIX. Constit. Biblioth. Canonic. T. II. Cum quidam Clerici cum mulieribus habitantes, sorores ipsas vocarent, dedecus vero non mediocriter illa ipsis asferret: sancit*

Cons.

Constitutio, cum, qui sit Clericus, non posse sororis nomine cum illâ habitare muliere. De iisdem intelligendis absque omni dubio Canon. XIX. Concilii Ancyranî (hoc Concilium celebratum parum ante Nicænum circa A. D. 308. vocatur à Gratiano in Decretis *Anchiritanum*, ab aliis *Anqvyranum*; sed melius ab Ancyra civitate in Galatia sita. Vid. *Caranz.* Summ. Concil. p. m. 46.) *virgines puellas, quæ tanquam sorores cum nonnullis viris habitare volunt, ab eorum consortio prohibemus.* Balsamon qui scripsit sub *Manuele Commeno* circa annum 1200.) ad hunc canonem observat: quia ut videtur nonnullæ virginitatem professæ, multos offendebant, eò, quod cum viris quibusdam, qui earum fratres esse dicebantur, habitarent, hoc quoque Patres prohibuerunt. Et rationem prohibitionis hanc dat *Rittershusus* in *Jur. Justin.* Part. I. Cap. VII. ad N. 123. no. 66. Ut omnia mala suspicio declinetur. Nam si *Cæsaris Domum* non tantum crimine, sed etiam suspitione criminis vacare oportet, ut *Jula Cæsarem* aliquando dixisse accepimus, quanto magis *Episcopi.* Et secundum *Paulum I. Theff. V. 22.* Cavendum est ab omni eo, quod malam habet speciem. Certè periculosa est sexuum commixtio, & nimia cum scæminis familiaritas; flamma fumo proxima est. Nec à veritate alienum est illud *Senis* (cujus mentionem facit *Marchantius* in *Hort. Past. Tract. IV. Lect. VIII. p. m. 1100.*) virum religiosum instruentis. *Charissime attende, quia sal ex aqua est, & si appropinquat aqua continuo solvitur, & deficit. Et Clericus similiter ex muliere est, & si appropinquat mulieri, solvitur & ipse.*

§. 12. *Ἀδελφότητα* autem in primitiva Ecclesiâ appellabant, quando viri cum virginibus extraneis habitabant; quod colligimus ex *Gregorio Nysseno* de Virginitate Cap. XXIII. Tom. III. *Qui novinetenus* (inquit) *duntaxat cœlibatum profrentur à communi vivendi consuetudine non longè absunt: utpote, qui non solum ventris voluptatibus indulgeant, sed etiam cum scæminis apertè habitent, hancque familiarem cum iis vivendi consuetudinem, fraternitatem ἁδελφότητα τὴν εἰάουτην συβίωσιν ὀνομάζουσι,* vocant; omnem sinistram videlicet opinionem, honestiori nomine occultantes.

§. 13. Adfunt & *Ἀγαπήαι.* *Apphia* salutatur *Ἀγαπήαι* in *Epist. Pauli ad Philemonem* v. 2. Hanc fuisse uxorem ipsius *Philemonis* asserit *Theodoretus Lib. Divin. Decret. V. Cap. de Matrimonio*; quod & nobis maximè videtur probabile. *Honestæ Matronæ* imago est, boni viri proba uxor, ac digna dilectione Christianâ propter virtutes matronales, præcipuè fidei præstantiam. Hinc digna eâ laude, ut nomen ejus huic *Epistolæ* insertum, æternæ

æternæ memoriæ consecraretur, ut notat *Beza*, & *Aretius* in h. l. Hæc procul dubio promovere negotium *Pauli* valdè potuit grata marito, si reconciliata esset servulo, intuitu tanti Apostoli, à quo se audiret tantoperè adamatam in Christo. Atque sic secundùm stylum Scripturæ ἀγαπητή & erit uxor legitima.

S. 14. Sistit autem veneranda Antiquitas & ἀγαπητὴς, alias *adoptivas* sorores, virgines scil: quæ cum Monachis coelibatum professis, non sine Ecclesiæ offensione in iisdem commorabantur ædibus, quasi spirituali amore essent conjunctæ. *Theodoretus* sic scribit in v. 2. ad *Philemon*. B. Paulus dilectam appellavit *Philemonis* conjugem, ut quæ fide erat ornata. Nemo autem miretur, si nunc aliqui hoc verbo offenduntur. Qui enim re malè usi sunt, effecerunt, ut malè audiret vocabulum. Erat autem olim nomen honestum & laude dignum. Harum dilectarum mentionem facit *Epiphanius* Hæres. LXXVIII. contra *Antidicomarianitas* (dicti Authorem laudant *Helvidium Auxentii* discipulum, hominem rusticum, & vix primis imbutum literis, ut *Hieronymus* de eo testatur in Scripto peculiar. contra *Helvidiū*: salutatur & hæc Hæresis *Antidicomaritanarum* h. e. adversariorum *Mariæ*, velut inimicitiam habentium adversus B. Virginem, & gloriam ejus extenuare volentium, quòd non manserit virgo) fol. m. 464. Edit. Oporin Basil. Ao. 1560. interpr. *Jano Cornario*, ubi postquam dixisset: B. Virginem à Christo in cruce *Johanni* commendatam, mox subjicit: At ne hoc convertatur in detrimentum quibusdam, & videantur in hoc accipere occasionem, ac pretextum coinductas, καὶ ἀγαπητὴς & amicas, seu dilectas sibi exquirendi, propter malignam opinionem. Illic enim res fiebant secundùm dispensationem, divisis rebus ab omni aliâ secundùm DEUM servari debente certitudine.

S. 15. In hanc consuetudinem graviter invehitur *Hieronymus* in Epistola ad *Eustochium* Primæ nobilitatis apud Romanos virginem, quæ ex omnibus *Paulæ* liberis sola perpetuam virginitatem est amplexa; solaque matri *Bethlehem* demigranti comes fuit. Ut observat *Erafrus* in *Argument. Ep. ad dictam* de Custodiâ Virginitatis fol. m. 47. Col. 4. Edit. Paris. Ao. 1546. Pudet (inquit) dicere, prob nefas! Triste, sed verum est, unde in Ecclesias *Agapetarum* pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? plus inseram: unde meretrices univire? eâdem domo, uno cubiculo, sepe uno & tenentur lectulo, & suspiciosos nos vocant, si aliquid existimamus. Frater sororem virginem deserit, cælibem spernit, virgo germanum fratrem, quærit extraneum, & cum in eodem proposito

B

posito



posito esse se simulent, quæruni alienorum spiritale solatium, ut domi habeant carnale commercium.

§. 16. Freqvens & est vocabulum Ἀγάπη τοῦ ἁγάπητι; ac Paulo per charum, ut patet ex 2. ad Tim. I. 2. Et Philem. v. i. dilectum vocat, ne non velit, quod ipse vult Paulus, atque sic honestissimum olim fuit. Hinc & tritum in Concionibus S. Geliebte, verum rei turpissimæ postea impositum. Vocabantur enim ἁγάπητι apud Græcos viri, qui cum Diaconissis habitabant, aut remoti postea, ut observat Meursius in Glossario à Justiniano Novell. VI. Cap. 6. ut est in Nomo Canon. Johannis Antiocheni Tit. XXV. Tom. II. Jur. Canon. verba hæc sunt: Volumus autem ipsas etiam Diaconissas, quæ sive ex viduis, sive e. virginibus ordinantur, nullos secum habere habitantes, nempe veluti fratres, vel qui vocantur Ἀγάπητι dilecti (talibus enim nominibus utentes, malignâ suspicione suam replent vitam) sed aut solæ habitent, aut cum parentibus solis, & filiis, aut verè fratribus. Eadem & Photius habet in Nomocanone Tit. VIII. Cap. XIV. imprimis consuli possunt Annibalis Fabroti Notæ ad Balsamonis Constit. Eccles. Collect. ad Lib. III. Tit. I. De omnibus jam dictis agere videtur Gregorius Nazianzen. Carmin. III. ubi de Diaboli dolis ita inter alia:

Πολλάκι μὲν συνάγειν, ὁμόφρονος ἀλληλοῖσι  
Πνεύματι, καὶ Φάτι, ἦλθεν Πικνουμίην τὴν γαστρίην  
τὴν ἀγάπην καλέουσι ὑπέλυθεν.

Quæ ita exhibet latine Spicerus in Thesaur. Antiquit. Eccles. Græc. sub voce ἁγάπητι.

Sæpe animis, & mente pares collegit in unum  
Et lucis speciem præ se tulit atque decorum  
Cognomentum Agapes subiit.

Adeoque, ut supra notavimus, rei turpissimæ honestissimum imponebant nomen, ac ἁγάπην appellare non verebantur sedam illam cohabitationem, quâ Monachi, aut alii coelibatum professi, foeminas sibi contubernales adjungebant in maximum Ecclesiæ offendiculum, & Ordinis S. dehonestamentum.

§. 17. Sed quò magis Clerus ad Coelibatum sanctionibus Ecclesiasticis obstrictus; (observamus tamen veteres, licet ante susceptos sacros ordines faciles fuerint, nec ob nuptias habitas à collatione sacrorum ordinum viros cœtera dignos prohibuerint, his tamen, qui sacro ministerio jam

jam ornati erant; Presbyteris præsertim, & Episcopis nuptias vitio dedisse, non quod DEUS ordinem sacrorum lege latâ à nuptiis usquam exclusisset, sed (1.) quod coelibem vitam, quam conjugio longè præferebant, in Clero æque ac Plebe coli vellent, (2.) quod totum procandi negotium. v. gr. Sedere ad latul, aut in gremio lascivientis puellæ, ambire nuptias, complecti, vel osculari virginem &c. secum vehat ineptias, viro gravi, qualem decet esse sacerdotem, indignas. Ob hæc anteqvam Presbyteri ordinarentur, nuptias à Clericis agi veneranda antiquitas maluit, ne post illa, his quas diximus vanitatibus, quæque à nuptiis vix absunt, denuo implicarentur. Vid. Hildebrand. de Nuptiis Veter. Christ.) eò plures *ἡ συνεισάκτων* de subintroductis, Canones in Conciliis occurrunt.

§. 17. Primam autem *ἡ συνεισάκτων* mentionem facit Canon. III. Concilii Nicæni primi, his verbis: *Omnibus modis interdixit S. Synodus, neq; Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neq; ulli omnino Clericorum licere συνεισάκτων γυναῖκα ἔχειν, habere secum mulierem extraneam, nisi forte Mater, aut soror, aut Avia, aut Amita, vel Matertera sit. In his namque solis personis, & harum similibus, omnis, qua ex mulieribus est, suspicio declinatur. Qui autem præter hæc agit, periclitatur de Clero.* Ut vertit Caranza in Summ. Concilior. p. m. 67. Repetita est hæc definitio in Synodo Toletana IV. Juxta Caranzam in Summo Concil. Canon. 43. Vid. Cap. 3. Concilii Carthaginens. I. it. C. 3. Concil. Hispal. I. &c. confirmavit hanc definitionem Imperator Honorius, & Theodosius I. 19. C. de Episcop. & Cleric. & Justinianus in Novell. 123. C. 29. Et Novell. 137. C. 1. ipsum Concilii Nicæni de hæc re canonem citat. Et *ἡ συνεισάκτων* frequens mentio fit apud Scriptores Ecclesiasticos, Euseb. in H. E. Lib. VII. Cap. XXIX. fol. 102. exhibet Epist. Synodic. Concil. Antiochen. adversus Paulum Samosatensem celebrati, in qua sic loquuntur Patres: *Quid autem scribemus de Subintroductis illius mulierculis, sicut eas Antiocheni nominant, & Presbyterorum (Pauli Samosatæi asseclæ) quoque ac Diaconorum, quos secum habent, quibus & hæc & alia incurabilia deprehensaque peccata scienter obtegit, quo illos sibi in iis, qua eò verbis & opere delinquit, obnoxias habeat, non audentes illum metu suæ ipsorum conscientie accusare & p. p. Nec illud ignoramus, multos esse prolapsos propter subintroductas mulieres, multos etiam suspicioni fuisse obnoxios. Quapropter etiam si quis illi hoc largiatur, quod nihil lascivi cum illis perpetret, suspicionem tamen ex eâ re subnatam revereri debuerat, ne vel quemquam offenderet, vel aliquos ad imitationem exempli sui animaret &c. Hieracite, (qui & à Do-*

Strinā salutantur *Abstinentes*) eo nomine suggillantur, quod *συνεισκήτους* mulieres habeant apud *Epiphanium* Hæref. LXVII. de quibus gloriari solent, se habere ipsas ad ministerium. Earundem & meminit de *Origenianis* Hæref. LXIII. &c.

§. 19. Quid autem per *Συνεισκήτων γυναικων* intelligatur non eadem omnium mens est. Vetus Interpres *Concilii Nicæni* teste *Svicero* Thef. Eccl. E Patribus Græc. fol. 155. reddit *Extraneam mulierem*. Sic & *Ruffinus Aquilejensis* (Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus) Lib. I. H. E. C. VI. Eundem sequitur *Fulgentius Ferrandus* in Breviat. Canon. Cap. 122. &c. Alii *subintroducendam* interpretari malunt, sic *Theilo*, & *Tharissus*, quorum versio Actis Concil. Carthaginens. VI. inserta est; & *Dionysius Exiguus* in Collect. Canon. *Eccles. Roman.* quem sequitur *Gratianus* Canon. interdixit *Dist. XXXII*. Alii *Intromissam* vel *adscititiam* appellant, quasi fuerint adscititiæ fœminæ ad curam rei familiaris extra concubitum à viris in contubernium assumptæ. Vid. *Hildebrand* de Nuptiis Veterum. *Chamier* in Panstrat. Cathol. T. III. Lib. XVII. Cap. VIII. fol. 118. credit *Συνεισκήτους* appellatas *Focarias* in *Concilio Westmonasteriensi*, cuius meminit *Bzovius* in appendice ad *Spondani* Epitom. Ao. 1200. *Clerici in sacris ordinibus constituti Focarias non habeant*. Nam Gallicum Proverbum dicit eas haberi *Apot & à seu. Amiotus* magni nominis apud Gallos Interpres reddidit *Femmes de Plaisir*, id est scorta. Vetus Scriptor. *Balsamon* ad Canon. III. Concil. Nicæni scribit: *Dixerunt quidam extraneam mulierem, eam esse, quæ loco legitime mulieris subintroducitur, & cum aliquo meretricio more habitat*. Alii verò dixerunt esse omnem mulierem alienam nimirum cum aliquo habitantem, etiamsi extra suspicionem sit. *Iustellus* ad Canon. III. Concil. Nicæni sententiam suam ita proponit: *Quenam fuerint συνεισκήται mulieres non satis constat*. *Ruffinus* Eusebii Interpres vocabulum Græcum reliquit, *Svidas* annotavit tantum, non explicavit. Erant autem neque Uxores, neque Concubinæ, sed tertii cujusdam generis mulieres, quas secum Clerici nec sobolis, nec libidinis gratiâ, sed pietatis studio aut certe prætextu fovebant. Et *Rhenanus* scholio ad superiorem Eusebii locum ex *Chrystomi Tract. πρὸς τὰς ἔχοντας συνεισκήτους* dicit: *Sunt quidam, qui puellas innuptas absque nuptiis, & concubitu ducentes, domi perpetuo collocant, & ad supremam senectam usque inclusas tenent, non procreandorum liberorum gratia, neque enim ajunt, se cum illis rem habere, neque causa libidinis, siquidem illas, se dicunt inviolatas servare*.

§. 20. Li-

§. 20. Libenter quidem damus *Ἐπιείκειαν* pietatis obtentu non à Clericis tantum, sed etiam à Laicis in ædes fuisse introductas; ast non alium in finem, quam ut importunissimis se facilius dederent libidinibus. Certè si citra scandalum cum viris vixissent, tolerari facile potuissent. Non vixisse autem sine stupri suspitione ex *Chrystostomo* satis liquet. Dicit. n. in Tractat. *περὸ τῆς συνεπιείκειας ἔχοντες.* Quamvis te perpetuò defendas, ac Philosophiam te Religiosam profiteri dicas, redargueris tamen per opera, damnum ex hac cohabitatione accepturus non vulgare. Quando enim video, te avelli nullà ratione posse, & infinitam eorum, qui offenduntur multitudinem despiciere, nec converti, licet multis te reprehendentibus, sed & gloriam tuam concutere, totiq; Ecclesiæ accusationem magnam & invidiam conflare, atq; infidelium ora laxare, omnesq; malà opinionem imbuere; & tanta quidem ex cohabitatione nobis nasci mala, nullam autem provenire bonum: ex separatione vero horum malorum omnium subleuationem, multorum autem aliorum bonorum possessionem adipisci licere, cum non seras, ut à te transeat, quomodo aliis persuadere potero, quod omnis affectionis sis expertus, & à concupiscentia mala purus. Et in seqq. ridet eos, qui dicunt, etiamsi videant cohabitationem virginibus, & alligatam, & delicantem, & animam potius perdere volentem, quam cohabitricem, paratamq; omnia & pati, & facere potius, quam à dilectâ separari. De his asserit Cap. VI. C. L. talium animas deprimi, imò è cœlis ejici, addit, quod illi, qui tales virgines aiebant, causam dicerent, quæ honesta videbatur nempe Tutelæ. Sed mox Cap. VII. Resp. Licet homines decipias, ast incorruptum DEI Tribunal minimè fallere poteris. Nam ob aliam quidem causam hæc facis, aliam prætextis, dicitis quidem omnia vos propter DEUM facere, facitis autem ea, quæ sunt Inimicorum DEI.

§. 21. Nomine E. *τῶν συνεπιείκειων* Pontificii (Vid. *Bellarmin. Lib. I. de Clericis* Cap. XIX. Imperitè dicam, an improbè honestas Clericorum uxores intelligunt; cum ad sui Cleri focarias, & concubinas, quibus cum capita subinde collidunt, nequid gravius dicam, propius accedant, id quod probamus (1.) Ex ipso Canone Nicæno h. Arg.

N. Legitima uxor interdicitur omnibus omnino Clericorum gradibus.

A. Hæc *Ἐπιείκειας* interdicitur omnibus omnino ordinibus.

E. Hæc *Ἐπιείκειας* non est Uxor legitima. Major patet, quia ipsis etiam agnoscentibus Papistis, uxor legitima prohibetur duntaxat *Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis*; Minoribus (ut *Acolytis, Cantoribus,*

Oñiariis, Lectõribus &c.) autem permittitur ordinibus. *Minor* est manife-  
 sta ex difertis Canonis verbis: Omnibus modis interdixit S. Synodus, neque  
*Episcopo*, neque *Præsbytero*, neque *Diacono*, neque ulli *Clericorum* omnino  
 licere habere secum mulierem extraneam. (2.) *Laicis* etiam mulier *συνει-  
 σάκτω* interdicitur. At non interdicitur Uxor. E. *συνεισάκτω* non est  
 uxor. *Major* probatur ex Responfis *Elia Metropolitani* Grætæ, quæ sunt in  
*Lib. I. Responf.* quæ extant *Tom. I. Juris Græco-Roman.* ubi quæritur, An ei,  
 qui ad extremum usque Spiritum cum extraneâ turpem transegit vitam, sint  
 largiendæ Divinæ Sanctificationes, nec ne? Respondet cum distinctione. *Eum  
 vel pœnitentiam testari, vel nihil tale ostendere.* Ab hoc *Elia* τὸ *περὸς  
 κλήμενον ἱερέα πῶρῶ ἀφίστασαι* i. e. advocatum Sacerdotem procul abfi-  
 stere. Sed illum admitti ad communionem; *obtineat* (inquit) *quod petit  
 propter fidem Divinæ Misericordiæ.* Quò autem hæc spectent. Patet ex  
*Responfo III.* Quæritur enim quomodo vocandus sit is, qui post mortem con-  
 jugis ex primo Matrimonio habitat cum Extraneâ, & cum eâ coinquinatur:  
 item qui post obitum secundæ uxoris ad Extraneam divertit? *An ille Binubus,  
 hic Trinubus, an simpliciter Scortator!* Quis dubitet hic agi de Laicis, cum  
 audiat secundas, tertiasque nuptias. Nam has non permissas Clericis mani-  
 festum, ex eâ, quæ tunc temporis obtinuit Disciplinâ. Plura vid. apud *Hen-  
 ric: Dodwellum* Dissertat. Cypriani: ad Epist. VI. *Chamier.* C. L. & quæ ex eo  
 habet. *Quenstedius* in S. Antiquitat. Bibl. & Eccles. part. 1. C. 2. de Eccles.  
 Ordine N. T. Num. 10. §. 8. Quare nil certius, quàm non posse *συνεισάκτω*  
 seu *ὑπεισάκτων*, *subintroductarum*, sive *extranearum* nomine comprehen-  
 di legitimas uxores, ac abuti Papistas tertio Nicænæ Synodi Canone in  
 eam rem.

§. 22. At mulieres non tantum erant *συνεισάκτω*: Veteres enim &  
 mentionem faciunt *ἄνδρων συνεισάκτων*. Extant certè duæ Orationes  
*Chrysofomi Tom. VI.* Altera *πρὸς τὰς ἐχούσας συνεισάκτας* ad viros qui  
*domi suæ Introductas*: de quibus supra. Altera *πρὸς τὰς γυναικείας* ad sæ-  
 minas *ἐχούσας ἄνδρας συνεισάκτας*, quæ viros domum introductos alant.  
 In virgines, quæ viros extra nuptias in consortium vocabant. h. m. invehitur.  
*Si habere cupis virum, qui tecum cohabitet, non oportet virginitatem eligere,  
 sed ad nuptias transire, multò enim melius est, virginem nubere, quàm isto  
 modo virginitatem profiteri. Nuptias, nec DEUS condemnat, nec homines  
 reprobant, quia honesta res sunt nuptiæ, quæ neminem offendunt, neminem  
 ladunt, sed virginitas inter viros culta stupri instar habetur.* §. 23.

§. 23. Sed abrumpimus telam, anteqv̄am vero finiamus; recipimus, probamus, & repetimus Ecclesiæ Catholicæ Confessionem, quæ extat in Concilio Gangrensi, & apud Epiphanium Tom. I. Lib. II. Hæres. XLVIII. fol. m. 184. Sancta DEI Ecclesia & virginitatem glorificat, & solitudinem, ac castitatem laudat, & nuptias pudicas honorat & suscipit. Scortationem vero, & Adulterium, ac Petulantiam, & Libidines interdicit, abominatur, & damnat.

Tu vero O Domine Jesu purissimum Exemplar, veræ puritatis, & castitatis Auctor, hanc nobis gratiam impertire, ut sincere interius castitatem adameamus, ac bonum illius odorem exterius effundamus. Fac ut in omni opere, verbo, cogitatione, conversatione, meminerimus nos unctos, & consecratos DEO, tum animo, tum carne, ut sanctificemus te in corde nostro, & DEUM glorificemus in corpore nostro.

S. D. G.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

<sup>1.</sup>  
**H**eronymum ideo culpandum esse non vides, quod dixerit: Nullam tam crudelem in mundo bestiam esse, quam Clericum vel Sacerdotem malum. Qui se corrigi non patitur, nec veritatem audire possit. Quippe quod talem vel ipsa S. Scriptura canem, lupum, vulpem &c. appellare non dubitet.

2. Pacatior foret Ecclesiæ facies, ni tumidi inqv̄ietiq; homines, Hæreses abstrusasq; opiniones dudum sopitas subinde ab inferis resuscitarent.

3. Has inter est *Chiliasistica opinio*, quæ sive *subtilis* illa, sive *crassa* æstimetur, Ecclesiæ minime erat rursus obtrudenda, turbarum quippe causa, Scripturæque S. neutiquam consona. Facessant autem omnes ii, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant. *Lactant. Lib. 3. cap. ult.* Rejiciantur, qui juxta Regulam S. Scripturæ non incedunt.

4. An *secta* illa *Chiliasistica* primam originem debeat Poëtarum figmentis de campis Elysiis, vel libris Sibyllinis aliorum judicio, submitto.

5. Libenter amplector *κέναι* illas *διδασκαλίας* esse stipulas patrum, quæ scripturientibus, interdum etiam dormitantibus patribus irrepresentant: ut habet *D. Cramerus in Arbor. hæret. consangu. p. 75.*

6. Incusatur ante omnes *Papias* Episcopus Hieropolitanus in Asia, quod hanc

hanc *δευτέρωσιν*, quasi à Discipulis Christi, ad se relatam (cum plus justo studio fuerit *παραδοσιῶν ἀγαφῶν*) receperit in Ecclesia, disperferit, ac fabulosa adjecerit, teste *Eusebio H. E. Lib. 3. Cap. 36.*

7. Alii *Cerinthum* primum hujus somnii Patronum agnoscunt; Alii longius adhuc educunt, quemadmodum Excell. Dnus. *Pseifferus in Antichiliasmo*, somnium vocat. 1. à Judæis excogitatum 2. à Cerintho incrustatum. 3. à Fanaticis interpolatum. 4. à Pseudo-Doctoribus approbatum.

8. *Ludovicus Vives*, non omnes inquit, eadem de illis mille tradiderunt annis, unusquisque ut sibi animo confingebat, ita affirmabat, nec mirum in re vanâ & commenticiâ. *Voëtii* judicio (*Select. Disputat. Part. 2. p. 1272.*) pestiferum hoc dogma fovet partim nimia Curiositas, partim morbus phantasticus propheticus. Cui nullum præsentius remedium opponi potest, quam illud *Luc. XVI. 29.* Habent Mosen & Prophetas &c. & *1. Cor. 4. 6.* Non sapere supra id quod scriptum est.

9. Erubescerem hæc adferendo, contemplanus quanti commatis Viri huic opinioni adhæserint, ni absque Scripturæ *S. συμφωνία* asserta deprehenderem. Stante namque hoc Chiliastico somnio: Ultima tempora non sunt miserrima. Non opus est circumspecta ad adventum Domini vigilia; cum Christus præsens, & cum eo fideles mundum gubernent. Ultimus Christi adventus duplex statuitur. Verba Christi intereunt, & Veritas expirat. *Luc. 18. 8.* Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἀρεῖ ἀρῆσει τὴν πίστιν Πατρὸς τοῦ υἱοῦ; *Joh. 18. 36.* ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἐστὶν ἐκ τῆς κόσμου τούτου &c. Sed absit, longe absit eò deveniamus. Maneat potius imo certissimè manebit Verbum Domini mei factum tectum in æternum: in ventos abeat fabula millenaria.

10. *Χίλια ἔτη* *Apoc. XX.* sexies repetita, sive Synecdochice, sive proprie intellecta nullum præbent Millenariis præsidium.

11. Hæresiarcha & hæreticorum primus ac princeps *Simon Magus*, primus simul Fanaticus. Testibus *Centur. Magdeb. Baronio, Cramero, Osandro* &c. Quo cum omnes Hæretici & fanatici aliquid commune habent. *Besold.*

12. Decet nos tanquam Christianos, omnes contra Christum, loquentes & sapientes quasi DEO rebelles, & animarum corruptores totis viribus averfari, nec *Ave* hujusmodi hominibus dicere, ne fortè etiam peccatis eorum communicare videamur.

S. D. G.

164

*Ad Praesantissimum*  
DN. RESPONDENTEM.

**E**lge bonis te nunc conatibus usque probato,  
Ut mores referant verba diserta probos.  
Sic votum patriæ, & venerandi Præsidis imple,  
Sic quoque spes Docti certa Parentis eris.

*gratulab. deproperabat*

J. C. SCHOMERUS, D.

---

*Optimi Parentis emulo Filio,*  
DN. RESPONENTI.

**P**OLTZI, Patris amor, quem cultæ munere lingvæ,  
Inque DEUM rectâ quem pietate refers!  
Dum sacri coetus dustorem crimine ab omni  
Immunem & castis moribus esse jubes;  
Innocuam Temet demonstras ducere vitam,  
Atque gregis castum Te fore velle ducem.

*grat. f.*

JO. FECHT, D. P.

Conf. Adf. & Super.

---

**M**oliris dignam POLTZI rem laude perenni,  
Dum stans in Cathedrâ das documenta tuæ  
Doctrinæ; doctis perge impallefcere chartis,  
Sic, comitante DEO, præmia non deerunt.

*Hæc pauca in honorem Dn. Respond. festinante  
calamo adjicere voluit*

M. CHRISTIANUS HILTEBRANDUS,

Log. Prof. Duc. Ordin. Publ. FCTis Phil. SENIOR  
& hodie DECANUS.

---

**E**xcolis ingentum variis lectissime Poltzi,  
Dogmatibus ritus, dum sociare paras,  
Egregium factum! Studiis incumbere sacris  
Perge ita, Theiologum reddit utrumque bonum.

*gratulab. scrib.*

M. GOTHOFREDUS *Weiß*

P. P. & Ecclesiastes Nicolait.

Fili,



**F**ili, dum cathedram scandis, timor omnis abesto,  
Nam cogita nullum nascier artificem.  
Maçte animi, tendens plus ultra, perge probari  
Doctis atqve Deo, spurcitiemqve fuge.

*fest. scripsit filio Pater*

**M. JOHANNES MAURICIUS POLTZIUS,**  
ad S. Johannis Pastor.

**F**ortibus, atqve bonis fortes generantur acresqve,  
Nec procul à proprio stemmate poma cadunt.  
Hoc quam sit verum, monstras Doctissime POLTZI,  
Flos Juvenum, Docti Patris imago proba!  
Namqve rosas genii Tua Disertatio pingit,  
Spirantes flores, claraqve dona Patris.  
Gratulor his ausis. Tibi semper pendeat hamus:  
Thelpiadum choriæ nomina docta dabunt.  
Sicqve vadum Patriæ famæ tentare licebit.  
Hoc age, tentanti præmia digna patent.

*Paucula hæc in honorem Nobiliss. Dn. Respondentis,  
paternarum virtutum amulo felicissimo, Fau-  
tori ac Amico suo Optimo, volanti crenâ ap-  
ponere voluit*

**Z. GRAPIUS, Rostochiensis**  
Th. St.

**N**unc ea, quæ fuerant altis concredita fulcis,  
Fœnore cum magnò semina reddit ager:  
Strenuus & Cathedram conscendit POLTZIUS ante,  
Quam nostris campis bruma recurrat iners.  
Laudamus studium, quod fructus protulit illos,  
Ac lætam messem corde precamur Ei.

*gratulabundus scripsit*

**GOTHFREDUS KOHLREIFFIUS,**  
SSctæ Theol. Stud.











§. 23. Sed abrumpimus telam, anteqvā v  
probanus, & repetimus Ecclesie Catholicæ Confessi  
cilio Gangrensi, & apud Epiphanium Tom. I. Lib. II. Ha  
Sancta DEI Ecclesia & virginitatem glorificat, & soli  
laudat, & nuptias pudicas honorat & suscipit. Scortati  
um, ac Petulantiam, & Libidines interdicat, abomina

Tu vero O Domine Jesu purissimum Exemplar,  
tis Auctor, hanc nobis gratiam impertire, ut sincerè int  
mus, ac bonum illius odorem exterius effundamus,  
verbo, cogitatione, conversatione, meminerimus n  
tos DEO, tum animo, tum carne, ut sanctificemu  
& DEUM glorificemus in corpore

S. D. G.

COROLLARIA RESPOND

**H**eronymum ideo culpandum esse non video, quod  
crudelium in mundo bestiam esse, quam Clericorum  
lum. Qui se corrigi non patitur, nec veritatem a  
quod talem vel ipsa S. Scriptura canem, lupum, vulp  
dubitet.

2. Pacatior foret Ecclesie facies, ni tumidi in qv  
abstrusasq; opiniones dudum sopitas subinde ab infer

3. Has inter est *Chilistica opinio*, quæ sive *subiili*  
tur, Ecclesie minime erat rursus obtrudenda, turbam  
pturæque S. neutiq; consona. Facessant autem o  
vitam non instruunt, sed turbant. *Lactant. Lib. 3. cap*  
juxta Regulam S. Scripturæ non incedunt.

4. An *Seeta illa Chilistica* primam originem  
mentis de campis Elysiis, vel libris Sibyllinis aliorum

5. Libenter amplector *κέναι* illas *διδασκαλικά*  
quæ scripturientibus, interdum etiam dormitantibus p  
habet *D. Cramerus in Arbor. heret. consangu.* p. 75.

6. Incusatur ante omnes *Papias* Episcopus Hiero

118  
cipimus,  
t in Con-  
l. m. 184.  
sitatem  
dulteri-

castita-  
adame-  
i opere,  
nsecra-  
tro,

am tam  
em ma-  
Qyippe  
are non

Hereses

aetime-  
a, Scri-  
manam  
tur, qv

tum fig-  
o.

patrum,  
unt: ut

ia, quod  
hanc

